



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conversio Peccatoris, Seu Modus quo Peccator communiter resurgit ad justitiam.**

**Lefelon, Antoine**

**Bruxellis, 1675**

§. 8. Juxta S. Chrysosthomum graviorum delictorum; paenitentiae  
conjungenda est continentia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9433**



peccatorem commune est, ut sic dixerim, etiam cum infidelibus. Multos a scena tam viros quam mulieres quum turpitudinem suam perpendunt, sui miseret: at non collimant ad verum scopum: ideoquè istud, confessionem, nulla ratione nominarim: quia non est cum animâ compunctione, neque cum amaritudine lachrymarum, neque cum peccatorum abolitione quod ea sic enuntient.

§. VIII.

*Juxta S. Chrysothomum graviorum delictorum pœnitentiæ conjungenda est continentia.*

**D**ixi ex Augustino & Bernardo, graviorum delictorum pœnitentiæ conjungi oportere continentiam; propter quod dixi & ex S. Carolo, sic renuntiandum præteritis, ut simul congruis assumptis remediis satagatur de cavendis futuris; dicit & Chrysothomus eidem Theodoro: Ne igitur perindè peccatum atque accusator traduxeris: sed tanquam qui debet justificari per formam pœnitentiæ, quo pacto animam confitentis assiduâ curâ licebit continere, ne quando ad vitia relabatur: Dixerat & supra: Si uno velut nisu ad summum illud fastigium conscendere juberem, haud injuriâ gravatim tentares propter permixtam rei difficultatem

H

tem



tem: quando verò tantulum dumtaxat in presentia requiro, non dico quantum malis peractis debetur, sed quantulumcumquè eum qui hoc loci consistit, retinere sufficit, ne in contrarium relabatur: Quid dum cunctaris? quid refugis? quid te ipsum retrahis?

Viden Francisce Carole quid dicat, quem tutius putas audiendum? Viden quod una sit ipsius & cæterorum Collegarum ejus doctrina: illi & ipsis consentias & à nobis non dissentias.

## §. IX.

*Vt conversis Deus peccata remittat, non opus est tempore.*

*Hom. 27.  
in Genes.*

**S**ED num. 245. inducis tu quoque Chrysoftomum loquentem: Dominum habemus misericordem & benignum qui non indiget tempore, tantum magno fervore & sobrietate ad ipsum accedamus, rejectis secularibus curis omnibus, & supernæ gratiæ innitamur: nam & Ninivite tantâ peccatorum multitudine aggravati, quia magnam & veram Pœnitentiam egerunt, non indigebant ampliori quam trium dierum tempore ad provocandam Dei bonitatem, & irritandam quæ adversum se lata erat, sententiam (qui adhuc non habebant Sacramentum Pœnitentiæ sicut nos.) Et quid dico

dico